Dissertatio Medica,

in diagnosin Febris Nervosæ et Typhi inquirens,

quam,

Venia Experientiss. Facult. Med. Lund.

Præside

JAC. SÖNNERBERG,

Med. Pract. Prof. Reg. et Ord. Fac. Med. h. t. Decan.

Pro gradu Doctoris Medicinæ

publice proponit

LAURENT. OL. HAGMAN,

Med. Licent.

Die XXII Junii MDCCCXL.

h. a. et p. m. s.

LUNDÆ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING,

Universitatis Typographus,

MDCCCXL.

Till

Regements-Läkaren
vid Wendes Kongl. Artilleri-Regemente,
Riddaren af Kongl. Wasa-Orden,
Medic. Doctorn och Chir. Mag.,
Högädle Herr

GEORG JOACH. BERGHOLTZ

samt

Dess Fru,
Högädla Doctorinnan

HEDVIG M. BERGHOLTZ,
född ERICSON,

med djupaste vördnad

och innerligaste tacksamhet

af

L. O. Hagman.

Utique difficillimam rem sibi nunc temporis tractandam sumit, qui febrem nervosam essentialem et idiopathicum esse morbum, atque nomine, quod per sæcula tulit, dignam, argumentis a priori petitis, probare velit, cum recens Nosologia, severi censoris partes agens, omnia damnare et removere studet, quæ palpabili ratione destituta sunt, ipsamque generaliter febrem ut umbram tantum morborum respiciens et accessorium malum, a patiente natura in reactionem, licet satis dubium auxilium, quale in rebus adversis esse solet, provocatam, excludere *).

Sed cum anatomia febrem explicare, nec ubique symptomatum rationem reddere possit, non modo permissum sed necessarium erit, principium, etiam hypotheticum, quærere, a quo explicari et ad quod referri cuncta potissime possint. Ejusmodi autem principium vel ab anomalia systematis nervosi, vel a sangvine, vel ab utrisque petendum esse credimus; neque enim vero simile est, ejusmodi turbas, quæ febres nervosas sequuntur, a sola organica membranæ intestinalis alteratione, quæ, ubi adfuerit, effectus potius, quam caussa censenda est, deduci

*) Secundum theoriam Cl. *Broussais* non exsistunt febres essentiales, sed omnes symptoma gastritidis vel gastro-enteritidis constituunt. Sed licet febres essentiales omnino rariores esse concedamus, sectiones tamen docuerunt, non omnes gastro-enteritidis signa obtulisse; constat enim, signa inflammationis ventriculi aut tubi intestinalis omnino in multis defuisse. Esse autem febres, in quibus, præter symptomata, statum dynamicum abnormem systematis nervosi et sanguinei indicantia, nulla inflammatio localis detegi potest, sed ipsa febris morbus primarius est, inter plerosque convenit.

et explicari posse; multo minus ad qualitates occultas in explicando processu pathologico, de quo jam agitur, se referre juvabit.

Itaque febrem nervosam, generatim sumptam, in anomalia processus vitalis systematis nervosi positam esse credimus; caussam typhi tam in hoc systemate, quam in systemate sangvineo contineri, ex allatis statui debere videtur. Sed licet anomaliam systematis nervosi utrumque malum complectitur, diversa tamen centra occupare videntur; cuncta enim in eo conspirant, ut febris nervosa cerebralem originem magisque localem trahere, typhus vero proxime vasorum nervos adgredi videatur, quod anomalia vegetationis credere svadet, licet actio contagii in cerebrum admodum perspicua sit. Status nervosus in utroque malo idem est; unde hic status rationem differentiæ continere non potest, sed status typhosus, a contagio diffusibili in systemate reproductivo et toto corpore excitatus, præcipuum et essentiale discrimen constituit.

Signa, quibus utriusque mali differentia intelligatur, hæc fere sunt:

I. *Ab ætiologia.*

Febris nervosa, quæ peculiari dispositione nititur, in immateriali hysteria et hypochondriasi expressa, præter caussas quæ febrem adynamicam inducere valent, tum disponentes cum excitantes, præcipue animi dejectionem habet. In cerebro primariam sedem figere videtur et arteriosæ magis indolis esse, quod ex nervis a cerebro missis concludere licet. Licet neuroses non febriles per adspectum dynamico modo cum sanis communicari possint, ejusmodi propagatio febris nervosæ locum non obtinet, nisi prius degenerata, in typhum mutata fuerit. Cum febres nervosæ epidemice grassantur, non a solo, sed coelo, non a tel-

luricis sed atmosphæricis rationibus pendent, ab aëre, ut dicitur, veniunt, quemadmodum alia epidemica mala.

Typhus morbus est sui generis, et essentia sua contagiosus. Semel ortus, sive primario sive secundario modo, contagio propagatur et cum omnibus communicari potest, qui idonea receptivitate gaudent, nulli parcens corporis constitutioni. Sublevare infectionem animus dejectus potest, non efficere. Distinguuntur et alii morbi in diversas species, diversa indole stipatas; gonorrhoea virulenta ab ea, quæ insons est; nec repugnare videtur, febres nervosas, a contagio ortas, ab illis distinguere, quæ ab aliis caussis, systema nervosum lacessentibus, excitatæ sunt *).

Febris nervosa, post gravem accessum superata, morbosam sensibilitatem corpori conciliat, vires infirmat et exhaurit, quo recidiva fieri potest.

Typhus generatim una tantum vice hominem invadere solet; superato, vigere et augeri videntur animi et corporis vires; vitæ tenacitatem addere existimatur.

II. *Differentia a Decursu.*

Febris nervosa in stadio prodromorum diutius moratur, sensim sensimque evolvitur et sub alternantibus exacerbationibus nocturnis et remissionibus matutinis ad summum tendit, in quo per aliquod tempus permanere conspicitur, sub exigua vel nulla symptomatum remissione, accedentibus deliriis etiam diurnis, donec per crisin nervosam, sæpius tamen per lysin, organa secretoria vim suam sensim recuperant, atque resti-

*) *J. Frank* Prax. Med. univ. præcepta.

tutionis caussam sistunt, qua decrementum ingruat. Solita et normalis duratio ad dies XX vel XXI extenditur. Stadia minus determinata habet. *Typhus,* citius evolvitur, a signis catarrhalibus fere semper initium facit, ad certa et determinata stadia adstrictus, decursu quodammodo continente absolvitur, ab irritatione contagii festinare coactus; remissiones obscuriores, nec ut in aliis febribus nervosis conspicuas, habet a quibus, ut morbus mixtus et cum humorum alienatione essentialiter junctus, differrre censeatur; dies criticos observare et ad depurationem materialem criticam perpetuo quoque tendere conspicitur. Semel ortus et explicatus seriem pathologicam pertinaciter persequitur, donec mors aut salus faciat finem. En imaginem Typhi, breviter expressam:

Sub decursu morbi certa stadia disceruenda exhibet, quæ singula delirii narcotici, quod typhomaniam dicunt, notam habent. 1 Stadium *infectionis,* omnium brevissimum, momento citius exsistit et transit; pauci omnino se infici percipiunt. 2 Stadium *incubationis,* vel prodromorum, sub quo contagium radices figit, præter sensus organici alienationem, foetor oris, vertigo, status ulcerosus, artus dedolati, electricis quasi ictibus percussi; lumborum dolor, gastralgia; ad 3—7 dies extenditur. 3 Stad. *invasionis:* horripilatio spinam dorsi percurrit; constringitur pectus; frigus calorem intercurrentem habet; cutis pallide cærulescit in anserinam mutata, tremor, sitis, anxietas, virium substratio ægrotum lectum occupare cogit. A 6 ad 12 horas extenditur exacerbatio et perpetuo gravior recurrit. 4 Stad. *inflammatorium,* catarrhale, exanthematicum vel irritationis, morbi explicati initium sistit, septem diebus circumscriptum, primumque septenarium cyclum constituens: frigus a calore intenso et sicco excipitur; turget totum corpus et rubet, præcipue facies; rubent oculi; pulsus duriusculi, frequentes; lingva initio

rubra, albescit; nausea, vomituritio, vomitus; urina flammea vel limpida, alvus sæpe adstricta; capitis gravitas mox ab infectione percepta in stuporem et temulentiam abit; somnolentia sine somno, deliria, sensuum stupor. Signa catarrhalia comparent: nares obturatæ, vox rauca, debilis, sternutatio, tussis, quæ morbi catarrhalis speciem fingunt. Quarto jam die, quæ index est, epistaxis moderata, qua symptomata cerebralia mitescunt, locum habet, quam sequitur exanthematis lentiformis eruptio huic morbo proprii (purpura typhodes), dorsum et pectus præcipue occupantis, maculis majoribus et petechiis interspersis. Die VII vehementem exacerbationem levamen sequitur, sed cito disparens; meliora tamen sperare seducit. 5 Succedit stadium, quod *nervosum* dicitur: jam intenditur calor, qui mordax evadit; concidit turgor, cutis in crudam, siccam, rugosam et fragilem mutatur; arescit lingua, absque potus desiderio; deglutitio molesta; disparet exanthema miliare, persistentibus petechiis; nares obturatæ, fuliginosæ comparent; respiratio frequens, singultus; abdomen tumet, ad adtactum dolet, passim diarrhoea; pulsus inæqualis, varius. Tendinum subsultus, tremor, convulsivi motus partes occupant. Præcipuum vero hujus stadii signum est *typhomania*, sensorio, a contagio narcotico correpto, orta; stupor sensus externos occupat, modum excedentibus mentis agitationibus, quæ, quo magis externa torpent, eo magis in se reducta, ideas nectit et persequitur, status sui corporis parum conscia. Ægrotus e somno facile excitatus, mox obdormit, sub sopore delirat, læta componit, ridet, cantat; vel tristia fingit, se ipsum terret, ut fit in delirio trementi, fugam parat, viribus supra sani hominis modum auctis, licet ante impetum eo usque debilis, ut in lecto se vertere non potuerit, et erectus tremat, pallescat, concidat. 6. ***Stad. criseos*** vehementiorem exacerbationem, die

XIII post stadii inflammatorii initium, accedentem, sequitur et præcipue sudore, sponte per totum corpus large satis erumpente, perficitur, partem simul criseos urina et alvo sibi vindicantibus. Mox sequitur. 7 *Stad. decrementi*, in continuata depuratione critica positum. Æger quasi e somno excitatus, ad se redit, somno reficitur, sed tarde reminiscitur. Septimo post crisin die, Octavum stadium, *convalescentiæ*, regulariter incipit, nimia sensibilitate, irritabilitate, macie, fame *) et stimulo in venerem, molestum, magis minusve protractnm.

Licet minime semper decursum tam normalem typhus habeat, in nulla febre nervosa proprie sic dicta talis observatur.

III. *Differentia ex signis.*

Febris nervosa signa catarrhalia non offert, nisi ad catarrhum accedat.

Typhus stadium catarrhale semper observat, signis allatis conspicuum; præterea rheumatismum et gastrica mala referre solet.

Febris nervosa vel nullis vel tarde comparentibus maculis, ab exanthemate typhoso diversis, notatur.

Typhus exanthemata circa quartum morbi diem exhibere solet.

Febris nervosa deliria habet, primo ad vesperem et sub noctu, morbo vero ingravescente, etiam diurna superveniunt, percipiendi facultate perturbata; quæ vero deliria, ratione argumenti, transitoria sunt, numquam fixa; in una re non diu versantur, sed ab una ad alteram ideam usque ad furibunda deliria æger sine combinatione et nexu citissime

---

*) — — "Cibus omnis in illo caussa cibi est;
semperque locus fit inanis edendo."

transit, donec exhaustus in prostrationem et deliquium vel altiorem soporem incidat; præsentes non noscit, pro alienis vel etiam bestiis habet.

Typhus præcipuum signum *Typhomaniam* habet. Obtorpentibus sensibus externis, ad externa et quæ circa sunt æger typhosus indifferens est; sese totus in se recipit, ideas sibi fingit, quas nectit et persequitur, omnisque in illis est, condit et componit; quæ extra sunt excitatus intelligit, homines cognoscit, sed videre quæ non exsistunt se credit, spectra, animalia horrida, a quibus perterritus aufugere conatur *).

Febris nervosa oculos vel adspectu debiles vel splendentes exhibet, sæpe semiclausos; provectiore in morbo rubescunt. In *Typho* facies sordida et oculorum stupor; mox primis morbi diebus oculi rubent. In utroque malo vultus diversus. *Ut valent oculi, sic homo.*

IV. *Differentia ex visis repertis post mortem.*

Intestina in febribus inflammatione corripi, diu satis notum fuit, de qua re *Bonetus:* anatome eorum, qui febre maligna extincti sunt docet, ventriculum cum intestinis inflammari; et *Bartholinus,* in omni

*) Juvenem annis pubertatis vix egressum in memoriam revocamus, qui multos ante annos sub epidemia typhosa, hieme satis gelida et nivosa, in morbum incidit, gravissime correptum. Cum ad extremum ventum erat, deliriis mussitantibus diu noctuque agitatus, absente sub noctu per aliquot temporis momenta custode, a tristibus mentis agitationibus vel cæco quasi impetu coactus, linteo detracto, e lecto per fenestram transsiliens in vicinum horreum fugit et in nive, illic cumulata, se abdidit, ubi tandem inventus, nudus et congelatus, in lectum reductus et calefactus, sui conscius, largum sudorem passus, quem somnus et sanitas sequebantur. Corpori, licet summe extenuato, plumbea gravitas inerat.

febre acuta imminet ventriculi inflammatio; *Sydenham* quoque ulcerari frequenter in febribus continuis intestina observavit; observatio itaque minime nova, sed neglecta. Licet vero alterationes texturæ intestinorum sæpius obveniant, complexum symptomatum vix explicare videntur, nec solum in typho, sed in quacunque febre continua locum habuerunt.

V. *Differentia ex sangvine.*

Sangvinem a contagio typhoso mutari et corrumpi vero simile est, licet qualitas alterationis ignota sit. Ad statum typhosum essentialiter pertinere videtur, et crisium materialium, quæ depurationem respiciunt, rationem continere; in febribus vero nervosis qua maximam partem dynamicæ indolis sunt. Ab experimentis ad indolem sangvinis explorandam institutis, nihil certi concludi potest; cohærentia minor et abnormis fluiditas etiam in aliis morbis occurrit; e vena missus sæpe a normali haud diversus conspicitur, in placentam laxam vel minus firmam, corio levi vel nullo, obductam, seri copia abundantem, abire solet; acido carbonico et salibus privatum esse experimenta docuerunt.

Si febres continuæ ab eadem scaturigine fluere censeantur, nullum aliud discrimen exsistere potest, quam quod a caussis excitantibus, atque constitutione generali et individuali habeatur, et secundum has diversitates therapia diversa; omnis tamen harum febrium medicina in eo conveniat necesse sit, ut ægrotus satis auræ, satis aquæ et satis panni habeat, quæ in febre maligna efficacissima sunt, et sola sæpe suffficiunt.